

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Exercitium academicum Mulieres philosophantes leviter adumbrans


**Esberg, Johan
Hedengrahn, Peter**


Upsaliae, 1700

urn:nbn:de:bsz:31-94918



XII C. 23





Q. F. F. Q. S.

EXERCITIUM ACADEMICUM

MULIERES

Philosophantes

leviter adumbrans,

Indultu Amplisf. Fac. Phil. in Illustri Upsal. Acad.

SUB PRÆSIDIO

Viri Summè Reverendi Amplisimiqve

DN. JOHANNIS ESBERGII,

*S. S. Theol: Doct: & Græc: litt: Prof. Celeberrimi, P. & P. in
Almunge meritissimi, vigilantissimi*

in Aud. Gust. Maj. ad d. 29. Martii, A. 1699.

Publicæ censuræ

modeste submittit

PETRUS Gedengrahn/

Dahlek.

UPSALIÆ,
Recusum ANNO 1700.

G. R. M.
Summæ Fidei Viro
Senatori & Consiliario Magno
Nec non

Academiæ Carolinæ Londensis
Cancellario

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO QVE
DN. NICOLAO **B**uldenstolpe
Comiti de Segersta / Domino de
Noor / Lidingenås / Saby & Rysta
Mœcenati Maximo

Excellens Heliconis Apex, & nobile Lumen
Inter Hyperborei & splendida sydera mundi,
GYLDENSTOLPE Comes, Tornæi gloria Pindî,
Carolidumqve Decus, Spes & Tutela Dearum,
Qvod statua vestræ mea jam proserpat ad aurum
Cernua, qværat ibi firmum, & reverentia fulcrum,
Da veniam: Ter magne heros, stirpisqve Patrone
Hedengraniacæ, prima hæc molimina nostri
Ingenii, nec adhuc maturo robore sulca
Suscipe ut ingenuum foetum, partumqve benignus!
Sic vestram facient gemmis radiare columnam
Pierides, sexusqve sui pensabit honores
Cantibus, & nunquam moritura laude Thalia.

P. H.

G. R. M.

Magnæ Fidei Viro

PER ILLUSTRIS & GENEROSISSIMO

DN. GUSTAVO Heidenfeldt/

Tribuno militum, qui ad Prono-
borgiam sunt maxime strenuo,

Patrono propensissimo.

HEIDENFELD fulmen belli, telumque minantis

Palladis, Hedenæ Gloria Prima Moræ:

Tetius hoc vili compello munere alumnus,

Ipsam materies, sed superabit opus.

Scilicet hæc generi quæ sit vis indita monstrat

Fœmineo, & quantum roboris illud habet.

Musarum in coetu, doctæ castrisque Mineræ

Atque ubi purgatis regnat Apollo locis.

Ergo formosæ, vultu fulgente puellæ

Armatis tantum si placuere viris,

Has ut confertis emerent per prælia dextris,

Formosæ mentis gratia major erit.

A 3

P. H.

H.

Illustri ac Nobilissimæ
Matronæ
DN. SOPHIÆ ELISABETHÆ
BRENNER
Virtutis, Pietatis ac Eruditionis Cin-
no suiqve sexus ornamento incomparabili.

Sveciæ nostræ speciosa Stella
Cura cui quondam teneræ Deorum
Nomen imponit validum POPHIÆ
Et simul omen.

Quæ cluet BRENNER similis Marita
Vel Jovi, multum cui cesseritqve
Magna Gracchorum Genitrix & ipsa
Lesbia Sapho.

Te Puellarum Decus & Minervæ
Filiam recte vocat agmen omne
Eruditorum; Tibi ferta necit
Pulcher Apollo.

Ergo quas vestro generi Camoenæ
Jure decernunt meliore laudes,
Hisce Te imprimis, reliqvas & ante
Pindus honorat.
P. H.

EXIMIO JUVENI.

PETRO Hedengrahn /

S. P. D.

SOPHIA ELISABETHA
BRENNERN.



Imis raro ut verum fatear: hæc mihi contingit felicitas, quod pro arbitrio, aut ea quæ optarem tranquillitate, ut non dicam studiis incumbere, sed ad Amicorum literas, responsa saltem dare, crebra sustineat occupatio; rebus enim œconomicis implicita aliisque quam plurimis intenta, ea quæ studiorum respectu pro nugis habeo ipsis antepone cogor studiis. Cave igitur existimes, Humanissime Domine, oblivione vel quadam incuria factum esse, si tardius respondeo ad literas tuas tam insigniter urbanas, quam pro expectatione fortasse tua nec credas velim, has ulla ratione mihi oneri fuisse, quæ non nisi studii in me tui, niveique candoris veniebant testes, tantum enim abest, ut temeritatis eas damnem, quin potius quam

A 3

gratis

gratisimas illas mihi fuisse publicè declarè. Institutum illud tuum, quod præcipua nostra sexus literaria decora, in quadam quasi tabella depicta, orbi exponet literato, non mediocri sane voluptate, animum perfudit meum, nam ut verbis utar Flacci:

Paulum sepultæ distat inertia
Celata virtus.

Tibi autem, Ornatisime Domine, non dissimulare velim culpam meam in rescribendo moram, maxime in eo residisse, quod dubia hæserim, an hanc quam mihi imponis partem, susceperim nec ne, tantum tamen mihi non sumo, ut vel tuo, vel acrioris iudicii virorum desiderio, me satisfacturam confidam. Verum, dum animum meum subeant quædam, meo quidem suffragio, me ipsa longe præstantiores, cum fœminæ tum Virgines, quarum domi forisque vel inclaruit, vel inclarescere desuit fama, illas mihi videre afficere injuria, si tam docta & venerabilia tibi significare nomina defugerem; Tuæ itaque petitioni concedens, prætermittis Duabus Catharinis, quarum Celeberrimus Schefferus in sua commemorat Svecia Literata. Initiū sumere constituti à doctissimis Virginibus Wendela, & Anna Skytte, Illustri & Incomparabili Herœ, Regniqve Senatore, Dn. Joh. Skytte, quam dignissimis filiabus, & licet longo temporis intervallo, vel potius eorum negligentia, quorum interesset, omnia

omnia interciderint, tam cultorum ingeniorum monu-
menta assertioni meæ fidem factura. Testimonium ta-
men profectū, quos illæ in Lingva præsertim Romana
fecerint omni quidem ut arbitror exceptione majus sup-
peditat Tabella Testamentaria excellentissimi Patris sui.
Harum Tabellarū quas ipsa seruo Archetypas, ad te trans-
mitto exemplar, ut tanquam doctrinæ ò vulgaris dudum
comparatæ præmium, uberiorisqve adhuc parandæ in-
stinctum Filiabus jã memoriatis eandem cū Filiis bonorū
mobiliū partitionē à Patre legatam fuisse, indē perspicies.
Quo illæ tempore vixerint, dicere supersedeo, cū nemini
non constet, quo tēpore inclyt⁹ suus vixerit Pater cui⁹ in
Regem omnium maximum, Gustavum Adolphum, &
Reginam omnis memoriæ Eruditissimā Christinam, Pa-
triamqve hanc nostrā & imprimis vestrum illud Upsali-
ense Athæneum, ingentia merita nulla unquam tacebit æ-
tas. Ebba Maria de la Gardie, Illustris Herois Ponti Frid.
de la Gardie Filia natu Major, quotiescunqve pagendis
operam dabat carminibus Patrii, Gallici, Germanici aut
Belgici idiomatis, tanta felicitate, ut inter elegantissimas
Poëtrias non inum obtinuerit locum. Meditationes
insuper quasdam composuit sacras sermone Germani-
co, opus prelo paratū, quod ante bienium, in mensē prope-
modum duos, beatum ipsius obitum præcedentes, ipsa
mihi monstravit. Maria Aurora Königsmack, nec ge-
neris

neris splendore, nec lingvarum peritia, nec carminum
felicitatem alteri cedit, & adhuc apud exteros vitali ves-
citur aura. Quanti vir Excellent. Otto Sperling, Luit-
zoviam Danicam, & Piscopiam Cornarâ Italam, Fœmi-
nas obeditos in lucem doctissimos ingeniorum foetus, fa-
ciat, ex adjunctis illius, quas ad me dedit literis, quarum-
que exemplar tibi non invidebo, facillimè judi-
dicabis. Sic & Gallia suas habet Fabras Scüderias, & non-
nullas alias, quarum gloria jam dudû & tibi & universo or-
bi patuisse erudito, non ignoro. Illustri huic ordini an-
numerandas puto, Antiquissimas Patriæ Poëtrias, vulgo
Waldmoer dictas, quarû apud vetustissimos septentrio-
nis Historicos crebra occurrit mentio. Habes hic, Hu-
manissime Domine, quantum de nominibus ac studiis
Eruditarum hujus nostri ævi Fœminarum, mihi
innotuit. Cæterum si laudatissimo hoc tuo proposito
orbem illustrare pergeris literariû, non modo de prima-
riis hujus sexus ingeniis, sed te toto etiâ Aönidum choro
te optime meritum, nemo non agnoscet. Plura me
scribere cum non sinat temporis angustia, valere te
quam optime jubeo.

Dabam Stockh. die 3. Martii
Anno 1699.

I. N. 7.

Beneficia, quæ DEUS immortalis larga manu generi humano dedit, clementissimeque concessit, tot & tanta sunt, ut ea paulo altius & accuratius rimantem in admirationem sui rapiant. Tam illustria enim sunt, ampla ac conspicua beneficiorū divinorū documenta, ut ad perfectissimi autoris notitiam & venerationem omnes mortales, imprimis adultos, & rationis insitam lucem non supinā negligentiam ac socordia, aut propria malitia & caligine sponte inductā, aut inveterata Deastrorum opinione suffocantes, sine ullo errore oppidò perducerent. Nam, ut omittam elegantem illam structuram, omnibusq; numeris absolutam humani corporis machinam, subtilissimamq; omnium membrorum & partium descriptionem, ad totius naturæ non modo incolumitatem, verum etiam dignitatem decus ac ornamentum comparatam, de qua sibi præ reliquis animantibus etiam gratulari potest. Ut silentio quoque involvam satis amplum illud hominis in animalia bruta,

Et quicquid natum tellus habet aër & unda.

dominium, quod concreata imaginis divinæ, eheu jam nostra culpa amissæ & deperditæ, umbram & indicem appellant. Ut enim sicco transeam pede alia vitæ humanæ compendia & emolumenta, quæ tam longe lateque se porrigunt atque extendunt, ut ea non modo dicendo persequi, verum etiam cogitando complecti, facultatem superet humanam. Ex innumeris unicuique tantum, quod inter multa excellit, & in natura humana principatum obtinet, attingam, rectam scilicet rationem, quæ homines à reliquis omnibus non tantum animantibus & plantis, sed quæ bene usi etiam à rudi & imperito hominum vulgo ita discernuntur, ut tanquam Dei quidam in terris splendescere

B

videantur.

videantur. *Hac anteceditur animalia Deo sequimur, cetera nobiscum animalibus, ut Genesæ (a) verba, nostra nunc faciamus) satisq. communia sunt.* Per hanc solam homines sumus: Hæc est cujus ope & præsidio verum à falso, dubium à certo, bonum à malo, honestum à turpi benè distingves, de rebus incorrupte judicabis, nec cœco, ut reliqua animalia, fereris instincta.

Mirari tamen subit stolidum profecto hominum genus, quod ratione licet præditum, ductum tamen rationis sequi recuset, sensuum vero libidini prompta ministeria animæ pariter ac corporis turpiter subjiciat, præbeat atqve accomodat. Non sufficit itaqve ratione pollere, verum & rectè uti palmarium est. Quippe datâ non uti, atqve ex nostra servitute, denegatâ carere, meo quidem iudicio pari (quod dicitur) passu ambulant. Norma autem & amussis ad quam actiones humanæ dirigendæ & veluti ad trutinam examinandæ veniant, ratio est non indolata ac orba, non fluctuans & vaga, non agrestis & horrida, non ignorantæ sita & squalore inquinata ac obruta, sed philosophiæ præceptis imbuta, & saluberrimis ejus institutis exulta, confirmata ac terra, sine qua tota vita nostra haud secus ac uavis sine gubernature & clavo, in alto vexata naufragio, ita hæc, remotâ Philosophia, appetendorum & fugiendorum indice, imò omnis fortunæ nostræ moderatrice, reginâ & Magistra dexterrimâ & angustissimâ, exitio proxima futura erit. *Sine hac neminem posse beatè, ne tolerabiliter quidem vivere, rectè docet Seneca. (b) Ut enim Dei munus est quod vivimus, quia Philosophiæ, nobiscum etiam singulari Dei beneficio communicatæ, quod benè vivimus, acceptum sit referendum, nemo dubitet. Sine hac nihil rectè adque ordine in hominum vita fiet, nulla monarchia aut Resp. consistet. Hinc quoque vox illa Platonis dicentis: Tum demum beatas fore Resp. si aut reges philosopharentur, aut philosophi regnarent,*

(a) Ep. 77.

(b) Ep. 16.

maient, nobis vehementer probatur. Hæc ipsa dux vitæ, ad brevis hujus & calamitosi ævi curriculum, minore cum molestia & sollicitudine, atqve etiam tutius & honestius conficiendum instructiones reddit.

Cum ergo diu vivere nobis sit denegatum, ne otio, *quod sine literis mors est & hominis vivi sepultura*, (c) nec vano ac inutili labore ac negotio vitam moremur, sollicitè providebimus. Multos aut corporis exercitiis nimium vacare, potiore aut sui partem, ejusque exercitium negligere, dolendum est, Præter eos, qui hoc ut pote nullius usus plane aspernantur, est etiam alii qui naturam tanquam illiberalem, parcam, duram, & iniquam novercam, sibi que eum perfectionis gradum, ad quem definitam alii moderatione adspirare atq; contendere debent, invidentem accusant. Cum tamen, *natura*, qualis in hac misera statione haberi potest, salvæ & integre, *nihil difficile*, Seneca (d) &, *nihil tam difficile esse, quin querendo investigari possit*, Terentius (e) assertum inveniunt. Non equidem nescii sumus, studium philosophiæ, quam jucundum & utile, tam etiam sæpiuscule arduum, molestum & difficile occurrere etiam præclarissimis & summis ingeniis; & ut rosa non absque punctiois vindicta decerpitur, ita nec veritatem perplexis ac spinosis questionum integumentis aculeisque inclusam circumseptamque investigari, investigatam explicari ac erui, erutamque ad usum in vita civili commodè, aptè & sempestivè referri & adhiberi sine multis exantlatis laboribus ac ærumnis; tamen multos ad veritatem & sapientiam pervenire posse certum est, nisi vel falsa opinione delusi eò se pervenisse existimassent, vel laborum fugâ, fœcordiâ ac ignaviâ turpi, aditum accessumque sibi ipsis preclurissent. Certum & hoc, à multis non posse, falsò prætendi, non velle, verè in causa esse.

Inspicienter hos non itam, que hanc alii culturam ejusque
B 2 medic-

(c) *Gen. Ep. 83.* (d) *Nat. Qv. l. 3. c. 27.* (e) *Hant Act. IV. Sc. 1.*

medicinam, virtutis indagatricem vitiorumque appultricem
 turpiter aspernentur ac repudient, sed etiam malitiosè fecis-
 se, quod quo ipsi ire nolint, nec alios homines patiantur ve-
 nire, ei, cui rem penitius examinare volupe fuerit, in propa-
 tulo erit. Ipsi philosophari non placet, foeminas philoso-
 phandi desiderio flagrantès à sacrario Minervæ inique arcent,
 & fustibus quasi ac telis repellendas censent, etiam (quod mi-
 raberis) nonnulli eorum, qui haud postremum in erudito-
 rum subselliis locum occupant atque tuentur. Nec hoc solum,
 verum etiam honestissimum sexum contumeliis ac convitiis,
 criminibus ac injuriis detestandis onerant atque prosciadunt,
 & hoc suo improbo sugillando studio Dei hujus universi condi-
 toris sapientissimi majestatem lædunt, violant atque offendunt.
 Horum numero accensendus est Simonides, qui Deum ex hi-
 spidis suis cetis & exuviis sordidam & squalidam, è callida &
 versuta vulpe fallacem & infidam, è cane cunctis oblatrantem,
 in terra inutile marito onus, καὶ ἐτάβιον ἀχθος ἀεφνης, è mari
 huc illucque fluctuantem, è cinere & asina, noctem diemque
 se cibis ingurgitantem, & cuicumque promiscuè advenienti
 ad libidinem & incestum paratam ac promptam, è mustela
 infelicem & formâ miseram, ex aqua labores fugitantem, pul-
 chrum cæteris, marito miserum spectaculum, è simia monstrum
 deforme, quod pestilentius malum nullum, produxisse muli-
 erem, impie & furiosè vociferatur. Cujus carmina Græca, si
 minus essent prolixa, hic apponerem.

Eodem loco habendi sunt, qui opprobriorum in imbel-
 les & innoxias damas conjectorum autores dicaces ac crimino-
 sos elogiis ornant, & tanquam veridicos vates probant, laudant
 atque commendant, cujus rei exemplum apud Aristoph. (f)
 occurrit, ubi Eurpides ita laudatur:

ἄνθρωπος εὐγενὴς σοφώτατος ποιητής.
 ἄδεν γὰρ ὡδὶ δρεμμὶ ἀνάθεος ἐς τὸ ἰὸς γυναικίς.

Jam

(f) in *Lysistr.*

Jam nullus est Euripide præstantior Poeta.

Qui foeminis nil censet impudentius per orbem.

Hunc autè à Clemen. Alexandrino (g) propterea malè, uti meruit exceptum & mulctatum videre licet. His adjuncti sunt & illi, qui cum sibi, utpote sublestæ autoritatis scurris, parum inesse putarent præfidii, ad fidem maledictis faciendum, amantatas alioem hastas suæ oratoriæ facultatis lacertis vibrant ac torquent, inter quos facile principem locum obtinet *Caspar Ens*, (h) qui in sua Morosophia secutus vestigia Antonii Mariæ Itali, communi Italici furoris in sexum foemineum inveni ac debachari didicit, in malè dicendi & convitiandi societatem ac suspicionem etiam vocans eos, qui de verbis malevolo convitiatori commodandis, ne per febrim quidem potuerant suspicari, quod Eusebii locum, dicis causa allegatum requirenti *περὶ ἑσθμια* apparebit. Hos tamen omnes calumniandi assiduitate si non vincat, certè exæquat autor impij illius scripti, quo mulieres homines non esse frustra tamen contendit. Cujus sententiam quam labili caduco & ficulneo fulciatur tibicine, cum ab aliis jam dudum monstratum sit, ne actum (quod dicunt) agamus, refellendi labore superfedemus.

Est enim mulier omnium saniorum hominum consensu Homo æque ac Vir. Quorum sexuum discretio, non nisi sita partium corporis in quibus usus generandi diversitatem requirebat, differente constat. Eadem est ipsis animæ forma, eadem rerum percipiendarum adminicula & instrumenta, iidem ministri, satellites, ac scientiarum parandarum nuntii, quinque scilicet sensus, eadem phantasia, memoriæ sensusque communis ratio; idem ad disciplinas aditus, idem boni appetitus, & veri indagandi desiderium, idem sermo, idem denique ad quem tendunt, beatitudinis finis. Nisi itaque tot naturæ eximia dona, quæ cum viris communia habent, frustra mulieribus concessa esse dixeris, fateberis necesse est, non minus eas ad veri inquirendi

B 3

& boni

(g) *Stron. lib. IV.*

(h) *lib. 1. c. 9.*

& boni indispicendi studium invitari atq; impelli, & adhibita industria, non magis eas quam viros cupitâ fraudari sapientiâ. Ut nunc taceam primæ omnium viventium natris Regina mundi, maximam & locum creationis, itemq; nomen & plurima alia, quibus mulieres virorum excellentiam assequi, si non posse vincere videntur. Non igitur liquet quæ ratione & quo jure, quidam eorum & acum tractare, satis amplum esse fœminis Lycæum, atq; theatrum arbitrantur, hosq; limites, ultra quos non progrediantur, *ἔρανόθεν* quasi præscriptos esse asserant. Plerasq; enim fœminas ab artibus seriis abhorreere, non ingenii aut judicii fieri defectu, sed igitur animum ad eas applicare nolint vel non liceat per humiliores occupationes, documentò nobis sunt multa, quæ in literis tantos fecere progressus, ut ab illis viri non pauci, tales præsertim, qui studia potius profitentur, quam serio colunt ac sectantur, inertix argui inq; ruborem dari possint.

Quod gravissimus Thucydides primam ei tribuat laudem fœminæ *ἢ παρὰ τοῖς ἐκτός ψόγῳ πᾶσι ἢ ἐπαίνῳ λόγος ἀρίστην ἀποφαίνεται. λατὰ περὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ ὄνομα τῆς ἀγαθῆς γυναίκος δέξιμος θεῖν κτκλειστον εἶναι καὶ ἀνέξοθον*: De qua minimus est vel in bonam vel in malam partem sermo; censens nimirum ut corpus ita famam quoq; bonæ mulieris domi inclusam esse, neq; in publicum exire debere; auctor est Plutarchus. (i) Ipsi aut prudentissimo Philosofo, *κομψότερος ὁ Ποργίας φαίνεται, κελύων, μὴ τὸ εἶθος, ἀλλὰ τὴν δόξαν εἶναι πολλοῖς γνωρίζον τῆς γυναικός*. Elegantior videtur Porgias, qui mulieris non formam sed famam vult multis esse notam. Quæquidē sententia etiam nobis poterit videri.

Vetus est inter eruditos controversia, utrum latenter & occultè vivendo ob, securitatem, an benè agendo aternitatem, nominis præstet quærere ac sectari. Plutarchus in priori sententia adstipulantes, hortando ad obscuritatem nominat iniquâ ratione gloriam captare, nec latere velle censet. Quippe jactantix genus est juxta Senecam, (k) nimis latere & à conspectu hominum

(i) De vivit. Mul.

(k) Ep. 69.

minum descendere. Ipsa quoque vita & quae homines sumus nati ad innotescendum divinitus nobis obtigisse videtur, quique se ipsum in obscuritatem coniecit ac tenebris involvit, ipsam ortum suum fastidire, & quae extiterit, iniquè ferre, non solum male suspicatur Philosophus. Neminem enim tam abjectum esse qui dulcedine gloriae non tangat, non falso mihi persuaseriam. Haec enim ad laborem intrepidum, studiaque indefessa cara capeflenda homines allicit & impellit. Et quo quis generosioris & majoris alii est, eò flagrantiori laudis ac gloriae desiderio teneri certum est. Se. ctantur hanc aequè ignavus ac bonus, hic verà viam, ille, quoniam bona artes desunt, dolis & fallaciis: Tantum ergò esse levitatis justam gloriam, fructum videlicet virtutis honestissimum repudiare, quantum inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsae gloriae consecrari, crediderim. Cui adest virtus, cur vult inutilis esse? & exemplo ad honestam aemulationem, cui artes plerumque incrementa magna debent, alios non incitare & incedere? Eadem est haec ratio mulieris ac viri hic cum latere non debeat, nec illi gloriam virtute & labore parandam quaerere, quis invidet. A Majoribus accepta fama frustra jactatur, siquidem eam ignava mox involvit obscuritas, adeò ut ejus monumenta non magis, quam navis per undas maris transeuntis vestigia comparent. Immortalitatem aut veramque gloriam ipsi pariet otium, scientiarum & Philosophiae lumine illustratum, ad quam pervinire haud minimi erit laboris. Hanc philosophiam tanquam proprium & universale hominis bonum eum ornamentum (scripturam sc. semper excipimus, utpote quam omnibus utilissimam & maxime necessariam convenire extra controversiam sit) mulieri quoque convenire, & ab ea addisci posse credimus. Ratione tamen optimè habita dignitatis cujusque, scientia & artis; habità enim ratione captò inclinationis & sortis mulieris. Non aequè enim una ac altera Philosophiae pars ipsi usui & decori est. Palmarias itaque & maxime ei convenientes illas censemus, quae theologiae & virtutum moralium ambitu continentur.

Nec

Nec sunt mulieres, ut nec viri, ejusdem ingenii & capacitatis; Alia enim sunt stupidæ magis, alia minus ingeniosæ, alia etiam vel naturæ vitio vel propria culpâ prorsus ineptæ: has omnino improbamus, illas etiam mediocriter tantum ingenii, (orbem quippe literatum maximam partem mediocriter doctis constitui videmus) & ad discendum paulo aptiores Philosophiæ admotus volumus, easque fortunæ adminiculis sublevatas ac instructas, ut inoffenso pede ad scientiarum fastigium ac apicem contendere valeant; quibus enim obstat res angusta domi feliciter philosophari nequeunt. Quid enim generosi poterit sapere, quæ quotidiani victus penuria premitur? Literarum itaque & eruditionis viaticum sunt divitiæ. Hanc quoque ob causam Ægyptios eruditionem suâ lingvâ SBO, i. e. sufficiens alimentum, quod soli divites artibus vacare debeant liberalibus, vocasse, suspicari licebit (1) Si enim pauperes illæ, ad Philosophiam mediis, quibus ad eam feliciter tenderent, destitutæ adspirarent, bonum finem malis mediis, virtutem vitio, Philosophiam scilicet turpi quæsturâ sapiens captarent, cuius rei nec desunt exempla.

Optime ergo cum iis agi credam, quibus de parentibus sibi gratulari datur, qui eas & possint erudire sive ipsi, sive per alios virtute & sapientia inlytos. Nec idem ad studia omnibus concessum est otium, nec paucas cura domestica, & rei familiaris procuratio moratur; Oportet itaque virgines in puerili ætate ab hac cura paulo liberiores esse, ita tamen, ut nec exercitia reliqua, manuum puta operationes, quas quoque suam laudem & dignitatem manere cupimus, prorsus negligent atque deponant. Adultis autem & provectioribus, cœlibem vitam, vel quibus familia contigit, ancillarum ministerium non parum conducere existimamus; quomodo enim, quæ rebus domesticis animum semper habent intentum, literis dignè invigilabunt? *Cœlibum quasi cœlitum vitam*, recte nescio quis, dicit. Hanc optimam esse, nihilque libero lectulo beatius, si modo continentia dona adsint,

non

(1) *Maussac. in jud. de Plut.*

non malè dicitur. Collationem inter cœlibem institutas & conjugatam vitam, & utra alterem sit præferenda. & quâ ad philosophiam melius tendas, protinus videbis. Menti itaq; Taciti. (m) quem aliqui, uti par est, magnificimus & veneramus, *matrimonium ad majora nitenti decus & robur fuisse*, asserentis, si minus faciles accesserimus, nemo mirabitur. De magnitudine familiæ, ad negotiorum expediendorum commoditatem paratæ, si ea intellexerit, facile inter nos conveniet, si minus, ægrius accedimus. Sententiam nostram comprobant veteres philosophi, quos vincula nuptiarum ut verè compedes quasdam liberæ & sese efferentis mentis abhorruisse accepimus. Non tamen hic damnamus, quod absit, aut improbamus, quod divinâ, naturali & civili lege brobatum mandatumque novimus, conjugium puto, sine quo humanum genus consistere & ab interitu vindicari non posse omnes scimus; Nec universè omnibus, sed strictius sapienti ac ad philosophiam tendenti cœlibatum, modò ei honestè imperare possit, commendare nitimur.

Exempla autem earum quæ literis & Philosophiæ tempus feliciter impenderunt tot sunt, ut copia ab iis recensendis me absterreat. Pauca tamen adduxisse, operæ pretium fuerit, ut ex iis appareat sexus muliebris ad quascunq; disciplinas rectè percipiendas prona facultas, & quam se cumq; in partem dederant, omnia consecutas fuisse, simul ac studium industriamq; adhibere voluerint. Theano Brotini Crotoniæ uxor, quam primam ex mulieribus philosophatam pœmata scripsisse volunt (n) egregios satis in literis, præcipuè in Philosophia Pythagoricâ fecit progressus. Fuit & alia Theano uxor Pythagoræ, quam commentarios quosdam philosophicos, Apophtegmata item & pœmata heroico carmine scripsisse legimus. Aspasiam Milesiam ob sapientiam civilemque disciplinam summo studio à Pericle, (quem ad Rhetoricam eam usum fuisse vult Cl. Alexand. (o) observatam fuisse, & quod etiam Socrates eam in philosophia magistram habuerit, relatum legimus. (p) Necessitudinem autem hanc Periclis cum Aspasiâ, amatoriam magis censet Plutarchus. Lasoheniam Mantineam, siue ut Athenæus, (q) Laffhneiam Arcadicam, & Axiotheam Phlasiâ, quam & virilem habitum induisse ferunt, philosophiæ Platonicæ vacasse, nec vigilias frustra locas

C

se legi;

(m) *Lipf. Cent. IV. misc. Ep. 23.* (n) *Cl. Alex. lib. 1. Strom.*
 (o) *Lib. IV. Strom.* (p) *Plut. in Pericl.* (q) *libr. 12. Deipn.*

se legimus. Aretam illam Arstippi filiam in literis nec operam perdisse satis testatur Aristippus ille *μπεροδιδάκτος*. Eumenidem, de patris Cleobuli unius septem Græciæ sapientum nomine, Cleobulinam vulgo dictam, præter ænigmata, quæ hexametro versu conscripsit, etiam altitudine prorsus mirabili, ingenioq; civili & humano fuisse, atq; ut humanius civibus imperaret pater, eam suâ institutione effecisse, testis est Thales. (r)

Gilbertam tantum literis valuisse, ut sexum mentita, ad summi pontificatus apicem contendere ausa fuerit, res est notior, quæ quam ut me interprete egeat. Mariæ Gornacensium illius decoris nobilissimi, lectiones, ingenium, prudentiam et iudicium ita miratus est Lipsius (s) ut ad suam suiq; sexus doctrinam eam accessisse & supra eos ascendisse, quasi ægrè tulerit. Reginæ quondam Svecorum Serenissimæ Christianæ, summam & in omni parte prope absolutam doctrinam & eruditionem, in religionis tamen negotio claudicantem, quippe seculo nostro notissimam, tacitâ admiratione meritò veneramur. Elisabethæ Angliæ Reginæ incomparabilis eruditionem lingvis multis ornatam, non sola jactat Anglia, latius enim ejus fama vagata, toti dudum innotuit orbi. Quantum quoque literis valuerint Perillustres Dn. Johannis Skytte maximi parentis filia minimè degeneres Vendela & Anna, ipse probatissimus est testis, quod parem præter morem illis cum filiis assignaverit, bonorum mobilium partem. Anna Maria à Schurman eò demum processit doctrinæ, ut seculi sui miraculum habentur, & plus laudis, quam fors humana mereri & ferre unquam possit, ei tribuatur. Summam doctrinam, rerum lingvarumq; per plurimum cognitionem, miram, inter mulieres, quas tenet Svecia, in Nobilissimâ ac integerrimâ Dominâ Sophia Elisabeth Brenner veneramur, cujus laudes, utpote in quibus digne pandendis Gallus cum Italo, Danus cum reliquis sibi nativo quisq; idiome, æmulant, (cujus rei exempla dignissima sunt quæ heic inserantur, ut virtutis incitamenta pluribus contingant, verum id temporis vetant iniqua spatia) nunc quidem attingere nos haud conabimur, ne palpum ipsi obtudere, & castas aures ac oculos, si fortè eos subire contigerit, offendere videamur, tacito pectore venerabundi recondimus, & sequenti ætati post funera, quæ tamen sera ipsi optamus, decantandas relinquimus.

(r) *Plut. Convio. 7. Sap.* (s) *Cent. Misc. 2. Ep. 56.*

mus. Testamentariæ quoque; tabellæ Skyttianæ copiam nuper nobis fecit liberalis ipsius manus.

Iter ad Philosophiam tendentium non parum moratur linguarum imperitia, quarum tamen usus tantus est, ut sine ipsis ad philosophiam procedere neuiquam detur. Iure itaque hanc linguarum eruditarum, quas vocant, Hæbraicæ scilicet, Græcæ & Latinæ notitiam mulieribus poscimus. Sunt enim linguæ fidæ custodes, internuntia & interpretes eorum, quæ sapiens nobis reliquit vetustas, quæ ubi suo idiomate nobis loquitur, genuinam animo sui exhibet imaginem, & mira quadam gratia ac lepore sensum nostrum afficit, quæ omnia in versionibus quamvis optimis non reperies ita ad vivum resecta & expressa, quin alicubi aliqua desideres. Ut nihil nunc dicam de usu, quem in scriptura s. habet linguarum notitia, quamque frugiferum & iucundum sit ex ipsis fontibus doctrinam cælestem haurire, explicare, probare. Et quis nescit vim illam, quæ in unâ latet, in altera minimè, vel non sine multis verborum ambagibus exprimi posse lingua?

Lingarum ita gnaras in Eloquentiæ palatium introducimus, ubi animi sua sensu exprimere, & cum aliis quid velint, eleganti & facundo ore communicare discant. Eloquentes satis esse omnes in eo quod sciunt, sunt qui putant; nec diffitemur non paucos homines singulari naturæ dono & ingenii bonitate, linguæ volubilitate maxima pollere satisque esse disertos; sed hæc ex sola naturâ profecta dicendi facultas & verbis ex trivio commodatis constans oratio, non est Eloquentia, utpote quæ ex multiplici rerum cognitione, efflorescere & ex diuturna virium periclitatione & dicendi exercitio ac consuetudine comparari debet, unde cum Cicerone existimamus, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, Eloquentiam vero sine sapientia obesse plerumque, prodesse nunquam. Hanc autem, Eloquentiam scilicet, non modo naturâ & exercitatione, sed & artificio quodam parari certum est; est enim majus hoc quiddam, quam opinantur homines, & pluribus ex artibus studiisque collectum. Rerum quippe cognitionem poscit, quæ nisi adfuerit inanis & penè puerilis erit elocutio. Quanta autem sit veræ Eloquentiæ & oratoria illa vis, non obscure inter alios innuit celebratissimus ille Epirotharum Rex Pyrrhus, (r) dum ingenuè profitebatur:

(r) *Plut. Pyrrh.*

C 2

tur:

tur: πλείονας πόλεις ὑπὸ Κινέων ταῖς λόγους, ἢ τοῖς ὅπλοις ὕδ' αὐτῆ προσηχθαι. Plures urbes per Cineam oratione quam armis à se subactas esse.

Hac etiam mulieres haud parum valuisse & valere, testantur superiorum pariter ac nostri seculorum momenta. Corneliae mentionem facere tantò minus è re esse puto, quod Eloquentiam ejus arguant celebratissimi Grachi μητροδιδασκτοι, qui, cum magnitudine indolis ceteros Romanos anteirent, doctrina tamen quam naturà prævaluisse videntur. Aretaphila Cyrenza tantum vi & suavitate dicendi valuit, ut Nicocratis crudelissimi tyranni iram prudentiâ & sermone facundo leniisse eam celebret Plutarchus. (u) Bonifacium VIII. Rom. Pont. ira & odio accensum facundia oris mitigavit Agapiti de Columna conjux. (v) Isabella Ferdinandi Catholici Regis uxor, ad omnia excelsa nata, & verè virilium curarum mulier, doctrinam unice amavit, & oratoriae præsertim arti felix indulgit, ut lapsantes, vel in sillabâ peccantes adverteret & sæpe admoneret. (x)

Poëticam utpote non in aliud inventam nisi ut lascivientibus rythmis, sillabarum numeris ac ponderibus nominumq; inani strepitu, stultorum hominum animos demulceat, & fabularum oblectamentis, mendaciorumq; centonibus decipiat, ad orcum damnant iniqui ejus flagellatores, eamq; honestis auribus neutiquam obtrudendam censent. At majori apud nos sunt in pretio delicia illa humanorum & ingeniorum condimenta. Nec fugienda Poemata Philosophaturis, sed adhibendam poematibus philosophicam considerationem probamus, ut in eo quo delectant, utilitatem quoq; captemus, nec palato plus quam corde sapiamus. Non igitur immeritò, qui delectationis tantum causa evolvendos suspicantur poetas, puerulis, qui libellorum exteriori forma coloribus & auro tinctâ oculos potius, quam iis, quæ intus latent, animum pascunt, haud ab similes dixerim.

Quippe, cum prodesse velint, & delectare poetæ, præter dulcedinem & delectationem, quæ illis propria est, nec usum apud eos frustra quæ siveris. Sub verborum namq; involucris atq; integumentis omnium artium, si non satis perspicua descriptio, saltem

(u) De vivit. Mul. (v) Fr. Petrarch. lib. 2. V. III. (x) Lips. mon. pol. l. 1. c. 7.

saltem vestigia latitant. Magnam inter disciplinas reliquas & hanc intercedere affinitatem & commercium, & quod hæc ab illis sæpe sumat, quod in suos convertat usus, nemò facile negabit. Per singulas autem disciplinas eundo assertionem præbare, labor foret nimis prolixus. Et hoc verum, poetam munere suo rite defuncturum, Philosophiæ præceptis instructum accedere debere, sine quibus genius alioquin optimus, idem est ac sine semine & culturâ vel optimus ager.

Naturam incipere, artem dirigere, usumque perficere, ut alibi ita etiam hic, mihi non difficile persuaserim. Operam itaque perdunt, qui naturæ nimium largiuntur ac tribuunt, posteriora illa quasi nihil ad rem facientia aspernantes. Quamvis nec diffiteamur naturam maximam partem sibi vindicare; Documento sunt homines, qui licet arte nihil valeant, rythmos tamen & carmina ita componunt, ut vix syllaba deficiat, aut otiose redundet. Interim tamen ingenium arte destitutum solum non sufficit, nec ars, si desit ingenium, satis est ad conficiendum poema locuples compositum, & cincinnis ornatum ac luculentum. Amicè conspirantibus, Exercitium perfectionem addit. Usus tamen hujus artis tantum credam esse, ut paucis verbis laudem ipsius expedire, dignè persequi atque complecti nemo valeat. Novit hoc antiqua Græcia, quæ ab ipsa prope infantiâ liberos in poetica institui curavit, non nudæ voluptatis (ut Strabonis (1) potius non meis verbis utar) sed castæ moderationis gratia.

Hanc artem eò magis mulieribus vindicamus, quod ei aliquantò plus, quam aliis adherere, ad eamque plurimas singulari instinctu & afflatu ferri videamus. Accedit, quod & hoc studium mirâ suavitate omnes sui amantes demulcens atque oblectans, in muliere plus decoris habeat, quam in viro, delicatoque sexui multam conferat voluptatem. Quid valuerit hæc natura, in innumeris non obscurum voluit mulieribus, quæ calamo tam felices applicuere manus, ut viris palman tantum non præripere videntur.

(1) Lib. 1. Georg.

antur. Ex omnibus quas rudis vetustas divino afflatu & fatidico spiritu instinctas ac excitatas carmina cecinisse arbitrabatur, Sybillæ Delphicæ, primum mentionem faciam, quæ in Apollinis fano consulentibus responsa dedit; Ex hac Homerum, qui universos priores ac posteriores virtute Poetica superavit, non paucos versus mutuatum, operi suo perpoliando interseruisse, sunt qui existimant. Meminit hujus etiam Diod. Siculus (z) sub nomine Daphnis Thiresiæ vatis firæ, ejusq; miram indolem, inq; variis oraculis conscribendis artificium singulare, atq; operam celebrat. A qua (verba ejus sunt) non pauca mutuatus carmina Homerus poeta, ad suæ Poesios ornatum transtulit. Phemonoë prima Apollinis Delphici vates, carmen heroicum invenisse scribitur, cui sententiæ album quoq; Eusebius (a) addit calculum, ubi illam primam vatem Pythiam hexametris versibus futura cecinisse refert. Telesillam illustri domo natam, carmina non minus quam arma nobilem reddidisse memoriæ prodit Plutarchus, (b) Sappho Lesbia Eresia. (Dalekambio (c) Eresia) sive Scamandronimi, ut vult Herodotus (d) sive Simonis, sive cujuscunq; alia filia, carminis Sapphici inventrix, scripsit carminum Lyricorum lib. IX. scripsit & Epigrammata (unde à nonnullis Epigrammatista nuncupatur) & elegias, & jambos & monodias teste Suida (e) Altera illa Mytilenæa etiam Lesbia, priori, tempore non arte multum posterior, quæ Phaönem arsit, (at ab altera illa Eresia sc. Phaönem adamatam, est apud Athenæum. (f) cujus crebra est apud Ovidium mentio. Hanc tam præclara & multa apud Græcos scripsit se poemata, ut decimo dicta fuerit Musa, autor est Gvido Morillus (g) Damophilam Lesbiam, Sapphus poetriæ coetaneam & sociam, multa quoq; scripsisse poemata, partim amatoria, partim in honores Dianæ, legimus. Corinna Thebana Lyrica, Myrthidis discipula, cujus meminit Propertius

(z) *Hist. lib. IV. c. 61.* (a) *Chron. Tom. 2.* (b) *De virt. Mul.*

(c) *In not. marg. ad Ath. Deipn. lib. XIII.* (d) *lib. 2. f. Euterp.*

(e) *In hist.* (f) *lib. XIII. Deipn.* (g) *In arg. ad Ep. Sappho.*

Propertius (b) quantum carmine potuerit, testes sunt ejus epigrammatum lib. V. Aliam autem hanc fuisse & à Thesbia illa veterum monumentis celebrata, & ab ea, quam Ovidius deperit, dignum est quod notetur, Erinna Teja, Teliæ seu Teniæ, quæ Dionis Syracusani temporibus floruit, elegans poema, quod trecentis versibus Doricâ lingua compegit, aliaq; Epigrammata, tanti habita sunt, ut ad Homericam Majestatem accessisse ferantur. (i) Infinita superaddi possent exempla earum, quæ hoc & superioribus seculis carmine inclaruerant, & etiam nunc inclarescunt, si res esset obscura & non confideremus Benevolum. Lectorem adductis exemplis posse ad assensum nobis præbendam allici, commoveri atq; impelli.

Omnibus in rebus methodum esse optimam omnes fatentur, in disciplinis vero maxime necessariam. Hanc si neglexeris, omnia prepostere ages. A natura suppeditari eam lubentes largimur, omnemq; ordinem disciplinarum esse naturalem; at à sola nativâ, quæ in philosophia desideratur, proficisci nequit. Integra quippe descriptio disciplinarum atq; intelligentia, præter popularem, magis exquisitum ordinem requirit. Et quoniam errori humana mens maxime est obnoxia, præsto erit regula & amussis, quæ mentem in veritatis inquisitione, ne aberret, dirigat, ducat atq; gubernet. Hanc mulieri feliciter philosophanti tantò magis necessariam ac utilem putamus, quanto minori polleat judicii acumine, & quæ cavere debeant, obtusius provide at atq;ve perpendat.

Est hæc Logica sive Dialectica, quæ in omnibus disciplinis pariter ac sine discrimine principatum obtinet, regnat ac dominatur, ne ipsa quidem exceptâ Eloquentiâ, quæ dialecticis nervis pugnat, ac pertinacem adversarium conclusionibus legitime eductis prosternt, & resurgentem iteratis ictibus confodit ac resupinat, donec victas dare manus, fascisque victori submittere cogatur. Neq; enim intra disputantium greges, & qui contentionis

(b) lib. 2. Eleg. 3.

(i) Getzn. libl.

tionis funes ducere solent, conclusa est, sed ad eruendam in quocunq; scientiarum genere veritatem, & ad refellenda contraria plurimum conducit. Et in hac, quemadmodum in aliis, mulieres non frustra sudasse documento sunt inter plures, illæ, quarum apud Cl. Alex. (k) fit mentio, quæ ad eum demum pervenerunt apicem, ut Dialecticæ fuerint appellatæ.

Divinam legem novisse omnes debere, extra controversiam ponimus. Hanc enim sine salutis jacturâ ignorare non poteris. Humanam vero non cognoscere turpe erit. Sic enim quid tui sit officii, quid fas ac nefas, quid justum quidve injustum non cognosces, & propria culpâ in errores inextricabiles ac peccata gravissima incidēs. Hæc juris præsertim naturalis ignorantia in mulieribus eruditæ ac sobriè Philosophaturis est culpabilis (quomodo enim separatâ nobilissimâ parte nomen sustinebant) maxime vero in principum filiabus, quibus deficiente mascula progenie sanctiones civiles alicubi imperium decernunt & destinant, quod rectè gerere & justè administrare nequeunt, nisi fortè piis, religiosis, fidei ac eruditæ viris, regiminis curam permittant. Quod vero ad praxin jurisprudentiæ forensis attinet, eam utpote minus propriam & necessariam, obstante verecundiâ sexus, apud mulieres non urgemus, quamvis exempla earum non pauca suppeditent historiæ, quas naturæ conditio & verecundiæ stola, quò minus in foro & judiciis disceptarent, non potuit cohibere. Partes defensionis diligenter executæ, & prima actione liberatæ, *αινδεογυνε*, uti meruit, obtinuit nomen, fortis **Amæfiæ**, Afraniam, Hortensiam, & alias plures nunc taceo. Verum cum in publicis non tantum summisq; muneribus excellat, sed etiam moribus hominum ad communem justitiæ normam dirigendis formandisque interserviat hæc legum doctrina, eam quoque reliquis, quæ infra thronum sunt, mulieribus, non sine usu eam vindicaverimus.

De

De corpore quod valetudini & mutationi non sit obnoxium ne-
minem unquam sibi gratulari posse credimus quæ felicitas si ge-
neri humano contigisset, Medicina nullum plane usum haberet.
Verum cum mutetur continenter, patiamur & ad interitum ten-
damus, in modos quibus incolume conservemus, agrum salutis
restituamus corpus; atque iuste recreamus necesse est inquiramus.
Pretium hujus artis exinde metiaris, quod eam nemo non indigeat.
Quam cito corpus nostrum verborum excipit lues? Quam fragile
est, ut vel levisimo vento corrumpatur? De malignitate plurimi
conqueruntur naturæ, quod in exiguum ævi gignantur, quod hic
concessi temporis curriculum tam velociter transeat. At prorsus ab
hac eorum est, quos mala premit valetudo; aliena quærela. Hi
enim angusto licet satis spatio vitam tamen trahant, secula tamen
quasi vixisse sibi videntur. Nihil tamen earum benignior nobis
indulgit fortuna, quod pro salute recuperanda non bibentes ero-
garemus. Felix ergo cui præstò fuerit auxilium & Medicina; Fe-
licior qui ipse sibi opem ferre poterit. Ita minus ex mora erit peri-
culum: nam

fero medicina paratur,

Quum mala per longas invaluere moras.

Autem hanc ediscere & posse & debere & viros concedunt o-
mnes; Mulieres hinc removent, arcentque plerique. Neque servus
neve mulier medicinam discerat, aut faceret, legibus Atheniensium
olim erat cautum. At postquam Agnodice, cum sexum detegens
sedulo & multum studiis profecisset, medicinam manum feliciter,
licet clam agris admoisset mulieribus, coram Areopagitis causam
strenuè agens, ut impostitum ingenue mulieres aliis impunè me-
dicarentur, impetravit ac obtinuit. Nec iniquè latam eorum cre-
diderim sententiam. Nonne enim mulieres, quas verecundia ma-
ximè decet ac ornat, ipsæ si possent, opem sibi potius ferrent, quam
medicorum inquisitioni & manibus se committerent? Hinc quod
tantus multas tenuerit pudor, ut morbo afflictæ omnia inexperta
relinquentes, quam corpus medico concedere, mortalitatis ma-
luerint satisfacere legi, memoria proditum habemus. Apud Ma-
tronas, & quibus conjugii sunt pignora, nec minimum Medicinam
habet usum. Quid, quod in fantulis, quos frequentes affligunt ac
corripiunt morbi, quibuscumque celeri opus est auxilio, protinus

D

auxi-

auxiliari possent ipsæ. Quas aliquando majori cum successu, quam viros, ægris, etiam quos hi tanquam incurabiles deseruerant, medicam manum adhibere, ipsi fatentur, docetque experientia.

Tutò autem ægris non medicabuntur, nec voti compotes reddentur, nisi corporis constitutionem, morbi naturam causamque penitus cognoverint prius. Nec cuiquam latet, Medicinam, cujus unicus est scopus, sanitatem tueri, labefactatam instaurare, non aliâ basi, quam physica inniti, quæ tradit rationes & causas omnium effectuum, qui è naturæ sinu prodeunt. Tanta ergo est hujus disciplinæ dignitas, tanta utilitas, ut ab omnibus expeti, imò, si fieri posset, manibus gestare debuisset. In utroque & physico & medico studio, quid velint, quid faciant etiam mulieres, fatis docuerunt inter alias S. Hildegardis de lingua, quæ libris quatuor, naturalem philosophiam explicuit, & Hildegartis Abbatisa quæ de simplicibus unum, unumque de composita Medicina posteris reliquit libros.

Nobilissimam illam omnium, puta quæ ex principiis naturæ notis dependet, scientiarum, Methaphysicam eò magis mulieribus ad philosophiam adsprantibus assignamus, quod illa, utpote prima & universalissima considerans cognitionis principia, in reliquis facultatibus & scientiis locum & usum quam maxime habeat. Inter cæteras artes & disciplinas, non infirmam Obtinere laudem Mathematicas, apud scriptores invenimus. Regibus & principibus in deliciis fuit Mathesis. Hæc necessitati humanæ succurrit, & facultatem naturalem juvat ac gubernat. Hæc discuntium ingenia mirificè excitat & recreat, ad disciplinas alias feliciter percipiendas præparat, inque bello & pace usus hujus splendide elucet atque coruscet. Nam Callicratem, non Myrmecidem aut ipsum Lyncæum tam acute videre potuisse sumus persuasi, quam Arithmeticæ & Geometriæ luminibus cerni queat. Præter usum quem in Philosophia præstant, etiam matribus familias, & quibus cura est domus, multum expediunt. Geographicum, si quid aliud, ita jucundum est mulieribus stadium, eoque ita sapius tenentur, ut viris hic ambigam faciant palmam. Musicam, (singulas partes persequi brevitatis studium vetat, quæ tamen nec usu carebunt) inclinatio illa naturalis, vocisque suavitas mira, quibus viros plerumque vincunt, propriam faciunt mulieribus. Aglaonice Hage-

monis,

monis, five ut alii, Aganice Hegetoris filia, Astrologiæ ita fuit pe-
rita, ut mulieribus de cælo lumam se devocaturam five seriò five
simulatè, nihil nunc labora, gloriaretur. Extant quoq; Elifabethæ
Hispaniarum Reginae Tab. Afr.

Ethicen vero quibus Encomiis extollemus, quæ naturam in a-
ctionibus aberraturam corrigit, & quæ eundem fit viâ exactè do-
cet atq; informat, quæ tanto minus fœminis est negligenda, quan-
tò cæteros omnes habitus animi ἀρετολογία dignitate vincit ac su-
perat, sexumque muliebrem pulcherrime ornat, atque comendat.

Concede mulieri omnem artium & scientiarum apparatus lo-
upletissimum, & tolle virtutem, cujus imago Ethicis exprimitur
ac continetur præceptis, & nullum tetrius prodigium, nullum fœ-
dius monstrum, aut magis abominabile portentum oculis tuis ob-
servabitur, nulla ferocior Cellæ Philosophiæ glandibus pasta,
animo concipi & cogitando formari poterit. At ex adverso quid
quid præclarior, quam posse fœminam de singulis suis officiis di-
serte & sapienter disquirere, eaq; pari dexteritate obire, implere,
atque exequi. Hanc meritò prædicaveris felicem ac beatam, bea-
tum denique maritum cui talis obtigerit conjux, quæ non minus
virtute, quam aurum margaritæ ac gemmæ præiosissimæ colore
lucent, splendent atque coruscant.

Studium Politicum, nemini, nisi qui remp. administraret, & ad
imperii gubernacula sederet, (quo nomine mulieribus id non in-
juste assignaverimus) utile & necessarium esse, falso sibi pervasè-
runt ò pauci, & sic omnibus, viris pariter ac mulieribus, quæ reip.
non præessent, illud quasi interdicerere laborarunt. Sed quamvis ad
praxin quidem usumq; reip. Politicam directè conferræ, sexumque
muliebrem ad munia politica oberenda non æque ac virilem ido-
neum esse concesserimus, interim tamen propter theoriam & pe-
culiaries, qui inde in omnes redundant munantque fructus, eam
negligendam nemini, colendum putamus singulis.

Sed administratione reipubl. continentur etiâ Oeconomia, quæ
quæ est domestica quædam reipubl. Hanc qui negligit publicam,
quod boni non erit civis. Cum enim civitas corpus sit ex variis fa-
milis conflatum, nisi hæ privatim benè habuerunt, nec valida fue-
rit. Si ergo rectè constitutam hanc velimus domesticam societate,
in hac ut civili sint qui reginant, quique regantur, quod suum est

quisquæ faciat, necesse est. Quam itaque utilis & necessaria hæc domestica, disciplina sit, mulieribus, tum extra tum intra thorum, nemo, non experitur. Ita ut hæc, quomodo maritum amore, honore, & obsequio prosequatur, fidem castimoniam & modestiam seruet muliebrem, ingenium, mariti moribus, etiam morosus quandoque patienter tolerando, prudenter accommodare sciat. Quomodo liberos, si qui modo fuerint procreati, bene & castè educet, quomodo seruos ac ancillas dignè regat, optime discat. Illa, quomodo parentes amet & revereatur, virtutes eorum pressè imitando, vitia, si quæ fuerint, vitando, infirmitates ac nævos piè & patienter ferendo ac dissimulando, & ut verbo dicam, quomodo cum totâ familia, decenter vivat, probè noverit.

Facem utriq; præferent exempla veterum & recentiorum, quorum maximam copiam suppeditat Historia, quam cum Cicero appellet magistræ vitæ, non videmus, cur ab illa removeantur mulieres, præsertim cum sciamus habere eam cum insigni utilitate conjunctam voluptatem, decus ac oblectationem. Huic studio cum ita indulgeat muliebris sexus, ut in gynæceis semper & præ omnibus reliquis obtineat, fructum quem fert, captabit uberimum. Cum enim historia perpetua stigmata inurat improbis, sempiternam vero bonos afficiat gloria, omnes improbas, nisi in veterata vitia nihil latas ac profundas egerint radices, à vitiis, metu dedecoris, & infamiae perpetuæ absterret, probas verò, ut in virtutis coepto studio gnaviter ac sedulo pergant, spe laudis & æternæ gloriæ erigit, allicit atque hortatur.

Hæc nobis in medio ea ponit, in quæ omnis posteritas tanquam in exemplar inspiciat, unde etiam capiat documenta, per quæ publico & privato consulatur. Hæc plus peritæ, quam vel longissima hominis ætas sustinere aut afferre poterit, affatim suppeditat. Non latuit hoc Zenobiam Palmirenorum Reginam celebratissimam, quæ principibus diu insultavit Romanis. Hæc lingvarum peritissima, præterquam quod Græcorum & Latinorum historiam optimè perdiderat. Orientalis ita fuit gnara ut eâ suo stylo usui posterorum in compendium redegerit ipsa. Argineten hoc studio quoque arsisse, non temere hariolamur, cum rebus à Dionysio gestis in literas referendis, admovent manum. Perillustris ac Generosissima Catharina Bâth, Baronessa Svecana, Commentarios Genealogicos ad pietis propriâ manu insignibus familiarum, tesseriisque gentilitiis conscripsit, in quibus multas Messenii hallucinationes detectas ferunt. Opus luci adhuc non datum sed apud ipsam custoditum fuit.

Hæc pauca sunt, quibus argumentum præsens persequi conati sumus, quoniam autem sub manibus versatum, in majorem quam primò destinavimus, modum excreverat, nunc multis licet omisissis, manum de tabula tollimus enixe rogantes, ut quisque B. L. sis, hæc nostra benignè accipere, & candide interpretari digneris.

